Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

malum. Beatus iohannes admonet dicens. Nolite diligere mundum neque ea que in mundo sunt, quoniam omnia que sunt in mundo concupiscentia carnis est. et concupiscentia oculorum. et ambitio uite seculi que non est ex patre sed ex mundo. et mundus transit et concupiscentia eius. qui autem fecerit uoluntatem dei manet in eternum. sicut ille manet in eternum. Ista ergo dilectio mundi que uniuersale in se concupiscentiam continet mundi, generalis est fornicatio qua peccatur in corpus proprium. eo quod omnibus corporalibus et uisibilibus et temporalibus desideriis et uoluptatibus humanis indesinenter inseruit animus. ab ipso creatore uniuersorum desolatus atque derelictus. Cum autem mens humana bona uoluntate ad interiora ac superiora percipienda. que non priuatim sed communiter ab omnibus qui talia diligunt sine ulla angustia uel inuidia casto possidentur amplexu uertitur et aliis consulitur, et si fallatur in aliquo per ignorantiam temporalium, quia et hoc temporaliter gerit, et modum agendi non teneat quem debebat, humana temptatio est, et magnum est hanc uitam sic degere quam uelut uiam redeuntes carpimus ut temptatio nos non apprehendat nisi humana. Hoc enim peccatum extra corpus est. nec fornicationi deputatum, et propterea facillime ignoscitur. Cum uero propter adipiscenda ea que per corpus sentiuntur, propter experiendi uel excellendi uel contrectandi cupiditatem. ut in his finem boni sui ponat aliquid agit. quicquid agit, turpiter agit. et fornicatur in proprium corpus peccans. inde corporearum fallacia symulachra introrsum rapiens. et uana meditatione componens. ut ei nec diuinum aliquid nisi tale uideatur. priuatim auara fedatur erroribus, et priuatim prodiga inanitur uiribus.

An nescitis quia membra uestra templum est spiritus sancti. qui in uobis est. quem habetis a deo. **Excepta ad maximum.**

Unum scilicet dominum esse solum. cui seruitus debetur que latria greco uocabulo nuncupatur. Ipsum enim ubi est in lege uel scriptum est. dominum deum tuum adorabis. et illi soli seruies. Quem si dominum patrem tantummodo diximus. respondebit nobis. Ergo latria domino filio non debetur. quod nefas est dicere. Si autem debetur. quoniam uni tantum debetur deo. si et patri debetur, non quia unus deus cum [et filio] soli per latriam seruire iussi sumus. ita dicitur solus ut et pater intelligatur et filius. immo uero et spiritus sanctus. De illo quippe dicit apostolus. nescitis quia corpora uestra templum in uobis est spiritus sancti quem habetis a deo et non estis uestri. empti enim estis precio magno. glorificate et portate deum in corpore uestro. Quem nam deum, nisi spiritum sanctum. cuius corpora nostra esse dicat templum. Debetur ergo gloria spiritui sancto. Nam si templum ei facere sicut salemon fecit de lignis et lapidibus iuberemur. utique faciendo templum latriam exhiberemus. quanto magis latriam debemus cui templum non facimus sed sumus. **Ex libro enchyridion.**

Spiritus sanctus si creatura non creator esset. profecto creatura rationalis esset. Ipsa est enim summa creatura. et ideo in regula fidei non poneretur ante ecclesiam quia et ipse ad ecclesiam pertineret in illa eius parte que in celis est. nec haberet templum. sed et ipse templum esset. Templum autem habet, de quo dicit apostolus, nescitis quia corpora uestra templum est spiritus sancti qui in uobis est. quem habetis a deo. de quibus alio loco dicit. nescitis quia corpora uestra membra sunt Christi. Quomodo ergo deus non est qui templum habet. aut minor Christo, cuius membra templum habet. Neque enim aliud templum eius. aliud templum dei est. cum idem dicat apostolus. nescitis quia templum dei estis. Quod ut probaret adiecit. et spiritus dei habitat in uobis. Deus ergo habitat in templo suo. non solum spiritus sanctus sed et pater et filius. qui et de corpore suo per quod factus est caput ecclesie que in hominibus est. ut sit in omnibus ipse primatum tenens, ait. soluite templum hoc. et post triduum suscitabo illud. Templum ergo dei hoc est totius summe trinitatis sancta est ecclesia. scilicet uniuersa in celo et in terra. **Ex libro contra maximinum.**

Si deus spiritus sanctus non esset. templum utique nos ipsos non haberet. Scriptum est quippe in apostolo. nescitis quia templum dei estis. et spiritus dei habitat in uobis. et iterum. nescitis quia corpora uestra templum in uobis est spiritus sancti, quem habetis a deo. Nonne si templum alicui sancto angelo et excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus. anathematizaremur a ueritate Christi et ab ecclesia dei. quoniam creature exhiberemus eam seruitutem. que uni tantum debetur deo. Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicumque creature. quomodo non est deus uerus. cui non templum facimus. sed nos ipsi templum sumus.